



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. IV. Circa molestias à morbo alijs sanis creatas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

XIX. Quarto ei ostendat, quòd, etiamsi istam sollicitudinem foveat, & dies, noctesque continuet, non modò nihil de lucro illo obtenturus, sed potiùs eidem acquirendo plurimùm obfuturus sit, cùm nihil Deo magis displiceat, quàm diffidentia de ipsius bonitate & auxilio concepta, atque adeò, sicut olim propter similem diffidentiam à Moysè, & reliquis Israëlitis conceptam eosdem ab ingressu in terram promissam prohibuit, ita ipsum quoque propter similem causam lucro sperato sit privaturus. Ut nihil dicatur de aliis damnis, quæ ipsi talis sollicitudo afferet, nam & morbi molestias augebit, non modicè, & ab oratione aliisque piis exercitiis multùm impediatur, & in gravem animi pusillanimitatem non sine grandi animi afflictione incidet. Hortetur ergo, ut potiùs jactet curam suam in Domino, sibi que dictum putet, quod aliquando Christus piæ cuiusdam Virgini dixit, Esto tu sollicita pro me ( mihi fideliter serviendo ) & ego ero sollicitus pro te, omnia necessaria abunde providendo.

§. IV.

*Tentatio IV. circa molestias à morbo aliis sanis creatas.*

XX. **I** Acobe pia & devota Virgo advertens Parentes suos tam graves pro ipsa sollicitudines generere, tamque grandes pro morbi curatione impensas facere, vehementer affligitur, quòd tantas ipsis morbo suo molestias creet; nec illis solùm, sed aliis etiam, qui ipsi servire in morbo, & omnia necessaria subministrare sunt jussi. Quia ergo hanc suam tentationem Confessario suo aperuit, quæritur, quomodo eam solari

solari, & contra prædictam tentationem armare debeat?

*Responsio.*

XXI. Primò illi ostendat, hoc esse quoddammodo Parentes, & illas, quæ ipsi serviunt, iudicare quasi modicam charitatem erga Deum & proximos haberent, minùsque se voluntati divinæ conformari nõssent; si enim de his meliorem, ut decet, opinionem haberet, facilè sibi persuasuram, quòd & parentes & ministrantes voluntatem DEI Sanctissimam, perinde ut illa consideraturi, & approbaturi atque adèò felices se iudicaturi sint, quòd occasionem habeant, suam erga DEUM & ipsam, charitatem demonstrandi.

XXII. Secundò illi demonstrer, quòd, etiam nec parentes, nec ministrantes suum in hoc facerent officium, & cum patientia debita creatas sibi per hoc morbum molestias sufferrent, minimè tamen hoc sufficere debeat, quòd minùs ipsa voluntati divinæ accommodare, & hanc ipsam etiam illorum impatientiam aut indignationem velut non modicam concessionem & aggravationem morbi tanto majori cum patientia supportare debeat, quantò minus voluntariè se ejusdem causam peccato aliquo fuisse cognoscit.

XXIII. Tertiò ostendat illi, quòd, sicut, testis Salomone, cum placuerint Domino viæ hominum, etiam inimicos convertet ad pacem, ita pari modo si ipsa studuerit, magnam in omnibus morbi sui molestiis patientiam, ac conformationem cum divina voluntate demonstrare, & frequenter pro exhibitis sibi in morbo beneficiis & ministeriis gratias persolvere.

rogareque, ut creatas sibi molestias ignoscant, sperari meritò posse, quòd & eorum corda, tantæ submissionis & patientiæ exemplo emollienda, atque aded magna cum charitate & patientia omnes impensas, aliâque obsequia ipsi exhibituri sint.

XXIV. Quartò illi ostendat, quid olim P. Balthasar Alvarez Societatis JESU Presbyter in discursu super quinque fontibus, ex quibus materia patiendi oritur, cum Maria Diæzia devota Virgine habito dixerit, videlicet quartum fontem esse, quando advertimus parentes & cognatos nostros gravi afflictione, cujus tramen nos nulla causa fuimus, premi; tales enim tribulationes & dolores ipse similes bolo carnis nullum os habentis esse dicebat, cum hoc ipso, quòd nulla nostra culpa intervenerit, totæ quodammodo in substantiam, id est, meritum nostrum convertantur. Hortetur ergo & ipsam, ut hanc doctrinam, animo suo bene imprimat, atque aded hunc tam pinguem bolum cum magna aviditate sumere, & decoquere, id est, in suam utilitatem convertere studeat.

§. V.

*Tentatio V. circa Podagra & Chiragra dolores.*

XXV. **G**ervasius Senator, postquam diuturnos, gravissimòsque Podagræ ac Chiragræ dolores per aliquot annos tolerasset, frustra que plures Medicos & Medicinas in auxilium vocasset, tandem impatientiâ victus, Pastorem suum advocat, eique lamentabili voce queritur, se à morbo hoc propè ad insaniam adigi, neque parem esse, tantis doloribus  
&